



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXXII. Vtrum in statu naturæ lapsæ possit homo diligere Deum, vt
authorem naturæ super omnia, solis liberi arbitrij viribus absque speciali
auxilio gratiæ? & sententia affirmans refertur, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

CAPVT XXXII.

Utrum in statu naturæ lapsæ possit homo diligere Deum, ut authorem naturæ super omnia, suis liberi arbitrij viribus, absque speciali auxilio gratiæ, & sententia affirmans refertur, & fundatur.

1.
Arguitur pro affirm. parte.

Impotentia ad actum ex duplici cap.

Excluditur 1. cap.

Excluditur 2.

2.
Arguitur amplius.

Confirmatio

HO est præcipuum punctum huius controuersiæ de dilectione Dei naturali, ratioq; dubitandi oritur ex dictis: nam in homine lapsio liberum arbitrium est sufficiens principium physicum talis actus, & aliunde potest ad illum sufficienter excitari per media naturalia aliquo tempore, & occasione, in qua non occurrant impedimenta, quæ illum actum reddant impossibilem ipsi voluntati; ergo simpliciter potest per voluntatem liberam effici sine speciali auxilio. Diximus enim tantum duobus modis posse aliquem actum esse impossibilem libero arbitrio sine auxilio gratiæ, scilicet physicè propter defectum propriæ virtutis per se, ac physicè efficientis: vel moraliter, propter magnam difficultatem ortam ex tærationibus, & impedimentis occurrentibus: ergo si utraq; impotentia cessat in actu dilectionis, nullo modo erit impossibile, ac subinde absolute fieri poterit viribus naturæ. Iam ergo probatur antecedens, cuius prior pars nota etiam est ex dictis, quia ille actus dilectionis in se spectatus naturalis est, & ideo ad illum efficiendum non deest virtus physica in humana voluntate, unde illam habuit in statu innocentie: ergo eandem retinet in statu naturæ lapsæ, quia voluntas in sua integritate integra manit, & ideo quoad intrinsecas, & physicas vires non fuit imminuta ut proleg. 4. ostensum est: ergo non deest in homine lapsio sufficiens principium physicum talis actus. Et inde probatur altera pars de sufficienti exercitatio, tum quia huiusmodi est naturalis cognitio Dei, quæ ex creaturis desumi potest, ut ex Paulo Act. 14. & Rom. 1. supra ostendimus: tum etiam quia dictamen hoc, *Deus est diligendus super omnia*, naturale est, & naturalem obligationem inducit: ergo de se etiam sufficienter mouet: tum denique quia in statu innocentie hoc fuit sufficiens ad excitandum: ergo et nunc de se sufficit, si extrinsecas impedimenta non obstant. Deniq; probatur vltima pars antecedentis ex ipso rerum euentu, non enim semper, & in omni breuissimo tempore occurrunt graues tærationes, & impedimenta, imò aliquando potest homo lapsus vacare naturali considerationi bonitatis Dei, & beneficiorum eius, & nihil actu sentire, quod impediat excitationem amoris eius: ergo tunc saltem poterit voluntas pro sua libertate in talem actum prodire.

Augetur difficultas, quia non est minus potens homo in natura lapsa, quam esset in puris naturalibus, sed in puris naturalibus posset sola libertate Deum super omnia diligere: ergo etiam nunc. Minor probatur, quia tunc haberet homo obligationem sic diligendi Deum: ergo posset, & non per auxilium gratiæ, quia in illo statu non daretur: ergo sua facultate cum concursu generali. Quia præceptum non datur, nisi de actu simpliciter possibili. Itē quia homo tunc veniens ad usum rationis, posset honestè instituire vitam suam, aliàs miserimus esset sine culpa, quod repugnat suauis, & sapienti providentiæ: ergo posset sibi proponere Deum ut vltimum finem, in eumque omnes actiones suas dirigere, & proponere illi placere in omnibus: nam sine hoc proposito non potest esse recta vitæ institutio: ergo totum id per vires liberi arbitrij, ac rationis naturalis facere potuisset, in illis autem includitur hic amor super omnia: ergo.

Confirmatur tandem, quia anima pueri decedentis in solo originali peccato, potest diligere Deum authorem naturæ super omnia, & tamen est in statu na-

turæ lapsæ: ergo & nunc homo potest, quia est eadem ratio: solum enim est differentia, quod in anima separata cessant concupiscentia, & alia impedimenta, sed hæc differentia non pro omni tempore veritatur, ut iam proposui.

Propter hæc, & alia multi graues Theologi huic subscribere sententiæ, affirmantes posse nunc hominem diligere Deum authorem naturæ amore benevolentie perfectio, & super omnia. Ita tenent ex discipulis Dni Thomæ Caietan. tomo primo, opuscul. tractat. 4. quæst. 1. qui etiam in hoc excedit, quod nihil distinguit ex parte Dei, sed absolute circa Deum tam vt naturalem, quam vt supernaturalem finem talem amorem quoad substantiam concedit. A qua sententia non recedit Soto lib. 2. de Natur. & Grat. c. 14. vbi generaliter ait, omnem actum, qui per gratiam fieri potest, posse à peccatore fieri per vires naturæ quoad substantiam actus. Et sic etiam in 4. dist. 17. q. 5. ad 1. idem affirmat de cõtritione quoad substantiam actus cum proposito placendi Deo in omnibus. Neq; ab illa sententia discrepant Cano. relect. de Pœnit. p. 5. §. Tertia etiam, & nonnulli alij Thomistæ, quos infra referam. Huius sententiæ fuit Henric. quodlib. 4. q. 11. circa finem, vbi expressè dicit, posse hominem non solum in statu naturæ integræ, sed etiam in statu naturæ corruptæ diligere Deum dilectione naturali benevolentie, & super omnia.

Scotus etiam multis in locis eandem docet sententiam. Nam in 1. d. 17. q. 1. & 2. supponit, actum charitatis esse naturalem quoad substantiam, & posse fieri à sola voluntate tanquam à principio actiuo proximo cum generali concursu, quamuis non possit sic fieri cum quadam speciali perfectione, quā habet ab habitu charitatis, de quo postea dicitur libro sequenti. Et quamuis verum sit, ibi non excludere verbis expressis specialem auxilium (quomodo illum excusare voluit Vega lib. 6. in Trident. cap. 28. & quæst. 10. de Iustific.) nihilominus apertè sentit, fieri à sola voluntate vt principio proximo, nam excludit omne principium proximum coagens cum voluntate, præter habitum: & planè docet, illum actum esse naturalem in substantia sua, & in 2. d. 28. in resolutione quæstionis sentit, præceptum illud, *Dilige Dominum Deum tuum*, posse impleri per liberum arbitrium, quamuis non sine gratia, quæ consequatur ad illam dilectionem tanquam ad proximam dispositionem, non verò tanquam principium ipsius dilectionis. Sed in illo etiam loco non excludit expressè auxilium speciale. Veruntamen sit titulus quæstionis, & intentio eius attendè consideretur, apertè loquitur de libero arbitrio proprijs tantum viribus operante. Et in 4. d. 14. q. 2. §. De secundo principali, in simili quæstione de dispositione ad gratiam habitalem, & remissionem peccati, dicit fieri ex naturalibus cum communi consuetudine. Quod ægrè exponitur de communi influenza gratiæ, quæ est per auxilium speciale, tum quia nunquam talem sensum indicauit: tum quia tunc non rectè diceretur actus fieri ex naturalibus, nam potius sit ex gratuitis. Ac deniq; quodlib. 17. §. De reuocato, iuncto §. Contra conclusionem, dicit, dilectionem naturalem, & charitativam D E I, non differre specie in substantia sua, & naturalem vult fieri per vires naturales, quamuis de charitativa, vt talis est, fateatur nō posse fieri sine influxu habitus. Quo sensu dicit in principio illius quodlibeti, nō posse voluntatem efficere actum perfectissimum circa vltimum finem, ex se, seu per solam naturam, vt in lib. sequenti latius tractabimus.

Et in hac sequuntur Scotum Gabriel in 3. d. 27. art. 3. dub. 2. proposit. 1. quam in 3. & 4. in sensu dicto satis declarat. Idem Aliaco ibi, & Almai. q. 1. dub. 2. proposit. 1. & tract. 2. Moral. c. 9. & Ant. Andr. 2. d. 28. q. 1. Qui authores excedunt: tum quia non solum admittunt naturalem Dei dilectionem super omnia fieri posse ab homine peccatore, sed etiam quia idem censent de dilectione charitatis Dei, vt est author gratiæ, quoad substantiam.

Cap. XXXIII. Refertur, & fundatur opinio negans posse hominem lapsum, &c. 343

substantiam eius; & præterea censent, talem dilectionem per naturam factam esse sufficientem dispositionem ad gratiam. Quæ omnia quàm sint falsa in libris sequentibus videbimus. Nunc solum ex his authoribus referimus, quod ad præsens punctum pertinet. Et cum illis citatur Maior in 2. dist. 1. q. 5. dub. 3. in fine, sed nihil ibi inuenio, nec sententia illa consonat cum doctrina eiusdem Maior. 2. d. 28. q. 1.

Præterea tenent eandem sententiam Durand. in 3. d. 29. q. 2. nu. 13. & sequentibus, distinguens duplicem dilectionem amicitiae, & super omnia erga Deum, naturalem, & supernaturalem; & dicens, priorem esse ex præcepto naturali, ac proinde fieri posse ab homine lapso ex solis naturalibus iuxta generale regulam, quam posuerat in 2. d. 28. q. 4. & in 1. d. 17. q. 2. ad 1. & 2. dicit, charitatis habitum non esse necessarium ad substantiam actus dilectionis Dei, sed ad meritum de condigno, dixerat autem in argumento, Sed contra, n. 4. omnem actum, qui fit sine gratia, & charitate, esse merè naturalem, quod postea non reprobatur, sed admittit. In eadem sententia esse videtur Marfil. in 2. q. 18. art. 2. in confirmatione secundæ conclusionis, ubi de Philosophis ait, potuisse ratione naturali cognoscere, Deum esse super omnia diligendum, & huic cognitioni voluntatem etiam absque gratia conformare. Nisi forte de sola habituali gratia loquatur, iuxta ea, quæ ex alio loco statim referemus. Thomas etiam de Argentina in 3. d. 29. q. 1. art. 2. dub. ult. docet quidem dari posse dilectionem Dei naturalem amicitiae super omnia, ad quam non sit necessaria charitas, nunquam tamen facis declarat, an fieri possit sine auxilio gratiæ præsertim ab homine lapso, in hoc tamen sensu procedere videtur. Multo vero clarius, & liberius id docet Adam. in 1. d. 1. q. 10. ad argum. contra. cōsul. imò addit, illam dilectionem naturalem esse eiusdem speciei cum dilectione charitatis, licet non sit ita perfecta. In quo sensu cum Scoto, & alijs supra citatis, & antea id docuit Altiſiod. supra c. 6.

Fundamenta denique horum authorum sunt, quæ in principio tetigimus, & quæ præcedenti capite ad probandam dilectionem naturalem allata sunt. Nam semel admitta possibilibus dilectione naturali, consequi necessariò putant, etiam homini lapso esse possibile. Addi tandem potest, hanc sententiam nullo modo favore errori Pelagij, si secludamus ea, quæ Scotus, Gabriel, & alij addere videntur de sufficienti dispositione ad gratiam, & remissionem peccati, vel de merito talis dilectionis, vel de identitate specificâ huius naturalis dilectionis, & infusæ charitatis, de quibus postea dicemus. His (inquam) seclusis longè abest hæc opinio ab errore Pelagij. Nam Concilia ipsa, quæ definiunt, ad diligendum Deum esse necessariam gratiam, non simpliciter loquuntur, sed cum illo addito, Sicut oportet, ut sæpè ex Concilio Arausicano, & Tridentino notauimus, quod videntur apposuisse, ut ab hac opinione Theologorum abstraherent, sentiunt ergo illam nihil habere commune cum errore Pelagij. Quod sita est, cum videatur ratione vrgenti probari, videtur probabilior iudicanda. Idemque argumentum ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. sumi potest.

C A P V T XXXIII:

Refertur, & fundatur opinio negans, posse hominem lapsum diligere super omnia Deum, ut authorem naturæ sine auxilio gratiæ.

Nihilominus secuta, & sana sententia est, quæ negat, hominem in statu naturæ lapsæ posse absque auxilio gratiæ diligere super omnia Deum, ut authorem naturæ, illa nimirum dilectione, qua possit diligere in natura integra sine speciali auxilio. Ita docet D. Thomas dicta quæst. 109. artic. 3. & sequuntur ibi Caietan. Conrad. Medin. Valent. & alij recentiores.

Eandemque opinionem se defendere proficitur Scoto in locis allegatis. Tenent etiam Vega quæst. 10. de iustit. 10. d. 1. Iacius Bellarm. lib. 6. de Grat. & lib. arb. cap. 7. & 8. Et ex antiquis Bonavent. 2. d. 3. art. 1. q. 3. ad 1. Agid. 2. dist. 28. quæst. 1. art. 4. dubio ult. literali in solutionibus argumentorum, & ibi Richard. art. 1. q. 1. Abulen. in c. 19. Matth. inclinatur etiam Marfil. in 1. q. 20. art. 3. concl. 5. tota, quatenus de Philosophis dicit potuisse ex auxilio gratuito Deum super omnia amare, ubi videtur auxilium illud ut necessarium postulare, licet non satis declararet.

Ad confirmandam autem hanc sententiam afferuntur varia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum testimonia, in quibus dilectio Dei dicitur esse donum eius, & idem quod charitas. Dicitur item dilectio esse plenitudo legis, etiam naturalis, ut constat Roman. 13. imperio autem legis naturalis est donum Dei, nec esse potest sine gratia, ut supra vidimus; ergo dilectio est donum gratiæ Dei. Vnde Augustinus, Fulgentius, Prosper, & alij Augustini sectatores damnant dicentes dilectionem Dei posse esse ex nobis, & non ex Deo, ut patet per Augustinum de Grat. & liber. arbit. cap. 18. 12. de Ciuit. cap. 9. & lib. 21. cap. 16. 4. contra Iulian. cap. 3. tract. 102. in Ioann. Loquuntur autem Augustinus, & alij Patres de hominibus in hoc statu naturæ lapsæ viuentibus, & idem in hoc puncto habent maiorem vim hæc testimonia.

Sed reuera hoc genus probationis est infirmum in præsentem, tum quia omnia illa testimonia reduci debent ad sensum Conciliorum Arausici, & Tridentini, in quibus additur illa particula sicut oportet, quæ omnia illa testimonia eneruantur, quia dilectio naturalis, quantumuis sit efficax, & super omnia, non est sicut oportet. Et sæpè ostensum est, Scripturam, & Patres loqui in prædictis locis de dilectione Dei perfecta, & quæ sit super omnia simpliciter, & in omni ordine. Vnde loquuntur de actu dilectionis, quo possit homo iustificari, seu præparari, ut iustitiam consequatur, ut expressè dixit Concilium Tridentinum cum Arausican. Item loquuntur de dilectione, quæ implet totam legem Christi, vel Dei, quæ non tantum includit præcepta naturalia, sed etiam supernaturalia, ad quæ dilectio naturalis non extenditur; & ideo dicebamus supra, esse secundum quid super omnia: dilectionem autem infusam esse simpliciter super omnia, quia omnia complectitur. Vnde non refert, quod dilectio dicatur esse plenitudo legis etiam naturalis, tum quia dilectio infusa illam etiam implet, licet non solam, tum etiam quia implet illam non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum fructuosum ad vitam æternam, quo modocertam loquuntur Patres de impletionem legis, & bonis operibus, ut supra visum est. Adde, quod Patres notantur de amore hominis lapsi, sed etiam de amor Angelorum, & Adami ita loquuntur: in illis autem non possunt intelligi, nisi de amore charitatis, ut supra notatum est: ergo signum est, eodem modo de nobis loqui.

Instant verò aliqui, quia Pelagius quando dixit, dilectionem super omnia Dei, haberi posse ex viribus nature, de dilectione naturali loquebatur, nunquam enim dixit, dilectionem supernaturalem, aut quæ elicitur ab habitu infuso, posse fieri per naturam, quia hoc neque à Patribus refertur, neque cadere potest in mentem alicuius: loquebatur ergo de dilectione naturali, & in hoc improbat à Concilijs, & Patribus: ergo de eadem dilectione naturali Patres loquuntur. Respondetur facillè, Pelagium directè errasse circa dilectionem, quæ in re est supernaturalis, existimauit enim, illum esse omnino naturalem, & idem illam soli libero tribuit arbitrio, & in hoc dānari à Patribus, qui proinde loquuntur de dilectione supernaturali. Declaratur hoc, nam Pelagius asseruit ad amandū Deum, etiam sicut oportet ad salutē, sufficere vires liberi arbitrij, ac proinde dilectionem illā esse